



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XVI. De Laico mortuo, qui per intercessionem B. Meinulphi revixit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T X V.

De Cellerario charitativo & devoto.

PRænominatus etiam DEO dilectus Prior Juvenem quemdam satis acceptum omnibus nomine Bertholdum Kreimors in Cellerarium sui Monasterij ordinavit. Hic in officio suo cunctis exhibens charitatem, singulis, prout cuique necessarium erat, victum de Cellario secundum Monasterij possibilitatem hilari vultu ministravit, ita namque pro servanda pace verba sua formare consueverat, ut potius cibum ministrando perdere decerneret, quam lædere charitatem. Postquam verò pius Dominus fidelem suum servum è vivis vocare decrevit, pestilentia infirmitate tactus morti appropinquare festinabat, cui cum diceretur, quòd Subprior Monasterij nomine Daniel simili infirmitate deficeret, cum affectu loquens exclamavit in hæc verba: O utinam & hic Subprior noster mortem evadere posset, qui vir utilis est huic Monasterio, & ego inutilis pro eo jam jamque mori possem. Sed quia in utrisque Domino DEO beneplacitum fuit, hunc & illum è vivis citius vocabat.

C A P U T X V I.

De Laico mortuo, qui per intercessionem B. Meinulphi revixit.

EX quo Regulares Monasterij B. MEINULPHI eo tempore, quo primum dictum Monasterium reformabant, multis & gravibus laboribus, prout ipsis necesse fuerat, intendebant, pius Dominus DEUS ita cum eis misericorditer dispensabat, quòd rarissime debiles aut infirmos, quibus curam vel vacantiam præ operum multitudine impendere non valebant, inter ipsos habuerint. Cum enim contigerat unum de Laicis suis nomine Dedericum Roes infirmari, & quadam vice ob infirmitatem ejus depellendam balneo sociari, hic qui locò infirmarij eum respicere habuit, propter ejusdem infirmitatem aliquantulum diu ab ipso sese absentavit, & reversus infir-

infirmum in aquâ reperit declinâsse, quapropter gravi mœrore compulſus clamorem validum fecit, accurrit Prior, accurrunt Fratres, & dum ad eum, qui infirmus erat, perventum fuit, Prior & Fratres nullum indicium vitæ in eo conſiderantes mortuum judicabant, & ideo Dominum DEUM Sanctumque MEINULPHUM pro ipſo humiliter implorantes, is qui ab omnibus mortuus putabatur, in gaudium magnum vivus eſt receptus.

CAPUT XVII.

Quòd meritò implorare debent B. Meinulphum pro pio Interceſſore apud Dominum DEUM, qui in ejus Monasterio debiles ſunt & infirmi.

Licet prædictorum Regularium ſancta Regula Medicorum conſultum admittat, tamen quia tam multi ſanitatum effectus per merita B. MEINULPHI non ſolum circa ſuos verum etiam apud extraneos per Chriſti gratiam peracti ſunt, & in hodiernam diem ſunt, prout in præſenti opusculo ſæpiùs factum invenitur, ideò hi, qui ſe de gremio ſuo fatentur eſſe, videlicet Fratres ſuum inhabitantes Monasterium in omnibus ſuis infirmitatibus cum magna fiducia ſingulare refugium ad B. MEINULPHUM meritò habere deberent, quatenus ipſe verum Medicum JESUM Chriſtum, qui non emplastro nec pulſûs tactu, ſed ſolo verbo univerſa reſtaurat, pro ægris, ut ſalvi fiant, dignetur implorare. Nec dubium quin ſuum locum inhabitantes ille pius Dominus celerius quàm extraneos ipſo pio interceſſore pro eis implorante exaudiret, dummodo fiducia infirmorum in precando non defuerit. Quòd ſi fortè auxilium non ſentiretur, timendum eſſet, quòd confidentia in precando magna ex parte deficeret, nec hi qui ejusmodi forent, dicere poſſent cum Propheta: *fiducialiter agam*, propter hanc enim culpam, ut opinor, intraneus derelinquitur & non ſanatur, extraneus verò fiduciâ plenus ſuſcipit medicinam & ſanatur. Nonne Raab fiduciam habens ſalvata cum ſua totâ domo fuit, & peculiaris DEI populus ob minorem fiduciam derelictus?

E

CA-